

Praeceptorum meo marmoratis laudibus digno atque condecorando, eaque quoties incidunt, non modo praeclari ipsius Viri memoriam afferunt, sed Ipsum etiam in conspectu meo ponere videntur. Non puto, A. O., mihi iam opus esse respondere ad quaestionem CUI BONO? Cui, ut Cicero eam in Oratione pro Roscio Amerino, Cassio acceptam fert, atque inde pro Annio Milone Cassianam vocat, ita ansam praebuisse videntur nasuti quidam, qui cum literas primis, quod dicitur, labris degustassent, tantam tamen scientiam sibi sumserunt, ut non tantum, quid Iupiter suae Iunoni in aurem insurraverit, nosse se somniarint, sed etiam omnis generis friuolas & futiles quaestiones in medium protulerint: e. g. quantum frumenti Plautus quotidie in pistrino contuderit? quot psittacus, qui cantabat suum  $\chi\alpha\iota\epsilon\sigma$ , decoras gestavit pennas? quo die Ganymedes ad coelum peruenit? aut, quot Nectaris guttis singulis vicibus poculum, quod Ioui praebet, sit refertum? ex quo coccino Pompeius vestem habuerit consutam? quanti constiterit clava Herculis? quo habitu corporis dormierit Anacharsis? quantum fuerit dolium Diogenis secundum omnes dimensiones? CUI BONO? CUI BONO? rectissime existolis & male feriatis istis homuncionibus quaesitum fuit. Quid verò haec omnia commune habent cum instituto nostro? quandoquidem non de leuiculis, sed arduis & maximi tam momenti, quam emolumentis rebus agimus. De studiis in Oratione pro Archia, & sic in meditullio quasi Tullii nostri extat, quod adolescentiam alant, senectutem oblectent, secundas res ornent, adversis perfrugium ac solatium praebent, delectent domi, non impediunt foris, nobiscum pernoctent, peregrinentur, rusticentur; & sic ad omnia, quae homini necessaria sunt, faciant & conducant: de pietate autem gentium Doctor expresse dicit, quod ad omnia sit utilis, & promissionem huius ac futurae vitae habeat. I. Tim. IV. Finem autem istum ut tam Docentes, quam Discipulos assequantur, necesse est, ut Docentes, non tantum praesentibus, sed etiam, absentibus Scholarchis, debitam in iuventute exascianda diligentiam adhibeant, omnesque vigilias, curas ac cogitationes in profectibus Eorum configant, DEI praesentiam nunquam non memoriae suae inscribentes, Eumque nil inultum sinere, probe perpendentes. De una atque altera phrasi, Criticorum more, disquirere interdictum non est, sed lege tamen hac, ne mediocritatis cancellos excedant, Symbolique Pittaci,  $\mu\eta\delta\epsilon\nu\ \alpha\gamma\alpha\nu$ ,  $\eta\sigma\lambda\gamma\upsilon\alpha\delta\epsilon$ ,  $\eta\sigma\mu\epsilon\delta\epsilon\nu$ , ne quid nimis & temporis rationem habe, obliuiscantur. Quemadmodum enim nigrum semen Gith modice incilius sumtum saporis gratiam, largius autem venenum exhibet, (quo

E

simili